

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Nicolaus Schütze Nicolaus Heinrich Storch

**Auxiliante Deo Trinuno De Transactionibus, Disputationem hanc Iuridicam, ... In
Inclusa Rosarum Academia**

Rostochi[i]: Kilius, 1639

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn731832434>

Druck Freier  Zugang



Übertragungen

R. U. inv. 1639.

Schütte - Storch. 16

AUXILIANTE DEO TRINUNO,
DE

103

TRANSA- CTIONIBUS,

Disputationem hanc Juridicam,

*Autoritate ac Consensu Magnifici & Amplissimi
Iectorum Ordinis in Inclita Rosarum Academia.*

SUB PRÆSIDIO

VIRI Amplissimi, Consultissimi & Ex-
cellentesimi

Dn. NICOLAI Schütten / J.U.D.
ibidemq; Cod. Professoris publici, Præceptoris
& Promotoris sui nunquam non
observandi,

Publico Examini subjicit

NICOLAUS HENRICH Storck/
RINTH-Westph.

A. & R.

In Auditorio majori, ad diem 24. Augusti,
horis consuetis.

os(O)so

ROSTOCHJ,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.
M. DC, XXXIX,

1639



S T N Θ E ȝ.

Uri operam dantes in plurimos s̄ape incidunt labyrinthos, adeo perplexos, varios & intricatos, ut humānā ope ex ijs elabi & felicem exitum reperire vix liceat. Inter alios vero duos in Codice Labyrinthos existare dicit Paullus Castrenſ. de Collationibus & Transactionibus. Collationum enim materia ob constitutionē varietatem est perplexa, Transactionum doctrina ob legum subtilitatem est incrucata, in quā nisi Justinianus velut alter Thesaurus ductu fili viam nobis monstraret, ad veritatis tramitem per venire non possemus. Licet autem difficultas ab hāc materia tractandā me posset retrahere, tamen cum usus ejus sit utilis & quotidianus, ut in simile ait Rittershus. in exposit. Novell. part. 6. c. 9. n. 1. opera pre cium me facturum arbitror, si in præsentiarum Transactionum doctrinam cereis tbesibus inclusam veritatis indaganda ergò publice disquisitionis incundi, quantum virium mearum tenuitas permiserit, subjiciam. Nihil enim magis interest Reipubl. quam lutes non oriri, aut ortas statim tolli amicabili quodam juris remedio, inter que Transactione non postremum sibi vendicat locum. Sed cum sine Dei lumine nihil sit in homine, & ab eo tanquam summo bono & patre luminis omne bonum incrementum de super contingat, hunc meritò ante omnia ardenter precibus invocamus, ut Spiritus Sancti sui gratia cœptis nostris benignè adesse velit, quo finem Disputatio nostra quem sibi proposuit, sortia sur, exoptatum.

A 2

T H E-

THESSIS I.

TRANSACTIONIS VOCABULUM SUMITUR VEL GENERALITER VEL SPECIALITER; GENERALITER PRO CUIUSQ; NEGOTIJ TERMINATIONE VEL FINITIONE *l. 35 ff. de pact. l. 31. ff. de jurejur. l. 46. ff. de Rei vind.* seu pro quolibet actu, quo ab obligatione receditur *l. 1. ff. de pact.* Ita transactionis nomine notatur pactum, jusjurandum *l. 2. de jurejur.* res judicata *l. 229. ff. de V. S.* SPECIALITER VERÒ & PROPRIÈ, TRANSACTION APPELLATUR, CUM ALIQUO DATO VEL RETENTO, VEL PROMISSO, TIMORE PRÆSENTIS VEL FUTURI JUDICIJ IN RE DUBIA CONVENTUM DECISUMQ; EST. *l. 1. ff. de transact. l. 38. cod. tit.*

II.

IN HAC SIGNIFICATIONE VARIÈ À JURIS INTERPRETIBUS DEFINITUR: EGOMISSIS ALIORUM OPINIONIBUS TRANSACTIONEM CUM WESUMB. DEFINIO, QUOD SIT CONTRACTUS JURIS GENTIUM INNOMINATUS STRICTI JURIS, QUO INTERLITIGATORES RES DUBIA & LITIGIOSA, ALIQUO CONTRA DATO & PROMISSO REMITTITUR & FINITUR.

III.

TRANSACTIONIS EST CONTRACTUS INNOMINATUS, QUI I. PARIT ACTIONEM PRÆSCRIPTIS VERBIS, UT PROBAT *l. 6. & l. 33. C. b. t. 2.* QUIA NON ASSUMIT NOME SPECIFICUM, SED IN GENERIS SUI NOMINE SUBSISTIT, CUM TRANSACTIONIS VOCABULUM SIT LATISSIMUM & OMNEM NEGOTIJ COMPOSITIONEM DENOTET. NON OBSTAT QUOD TRANSACTIONIS POTIUS SIT DICENDUS DISTRACTUS, QUAM CONTRACTUS, QUIA HOC VERUM EST RATIONE LITIS & REI CONTROVERSAE QUAM FINIT AC DISTRAHIT, RATIONE VERÒ OBLIGATIONIS EJUS QUOD PROMITTITUR VEL DATUR, RECTIUS DICITUR CONTRACTUS *l. 6. l. 33. l. 35. C. b. t.*

IV.

DIXI ESSE JURIS GENTIUM AD EXEMPLUM RELIQUORUM QUI CONSENSU PERFIUNTUR. *§. 2. in fin. Inst. de jur. nat. gent. & Civil.* PORRÒ STRICTI JURIS, QUIA IN CONTRACTUM INNOMINATUM TRANSACTIONE INCIDIT. *Wesemb. in π. ff. b. t. n. 2.*

V.

RELIQUA VERBA IN DEFINITIONE POSITA ESSENTIALIA TRANSACTIONIS REQUISITA CONCERNUNT. PRIMUM EST, UT INTERPONATUR SUPER LITE DUBIA & INCERTA, NON FINITA *l. 1. ff. b. t.* ALTERUM, UT PRO REMISSIONE LITIS ALIQUID DETUR, RETINEATUR VEL PROMITTATUR *l. 6. l. 25. l. 23. C. b. t.* ADDE GAIL. LIB. 2. ABS. 70. NUM. 12.

VI. TRAN-

VI.

Transigere licet omnibus, qui consentire possunt, & sanâ mente
prædicti sunt, licet corpus adversâ valetudine laboret. *l. sanum. 27. C. b. t.*
Caussa enim efficiens Transactionis est consensus & voluntas eorum
qui transigere volunt *l. 13 verb. consensu terminata. l. 20. l. 24. C. b. t.*

VII.

Et hinc in duplice sunt differentiâ : vel enim transfigunt suo nomi-
ne vel alieno. Suo nomine transfigunt rerum domini, & qui liberam
rei suæ alienandæ facultatem habent.

VIII.

Hinc minores Curatores habentes soliq; transigentes nihil agunt,
cum bonorum administratio ijs sit a demita *l. sancinus C. de administrat-*
tutor. l. 1. in fin. de minor. Curatores non habentes rectè quidem transi-
gunt, sed an illis laesis beneficio in integrum restitutionis succurrendum
sit, dubitatur ? Ego affirmavam uti veriorem , ita & magis æquam
amplector. per *l. si superstite in fin. C. de dol.*

IX.

Quod si Transactio juramento sit confirmata,anne adversus hanc
quoq; restitutio minori dabitur ? Nego, quia Juramentum minorem
præsumit esse majorem *arg. l. 1. & auth. sacramenta puberum C. si ad*
vers. vendit. Tanti præterea roboris est juramentum, ut in genere
præsumatur jurantem de quocunq; remedio etiam implicitè cogitas-
se, habetq; vim specialis consensus & renunciationis , item virtutem
expressæ & enixa voluntatis *Gail. lib. 2. obs. 41.*

X.

Limitatur hæc Decisio 1. Si illud jusjurandum vi vel metu sit ex-
tortum *d. auth. Sacramenta puberum.* Hoc enim juramentum ipso ju-
re nullum est , cum non habeat tres necessarios juramenti comites, ve-
ritatem , iustitiam & iudicium , uti sacri Canones requirunt *c. Etsi Chris-*
tianus Extr. de jurejur. 2. Si dolo interveniente præstitum doceatur *arg. c.*
cum contingat in fin. Dextr. de jurejur. ubi dolus & metus comparantur.
Huc error quoq; pertinet. Ille enim qui errat, non consentit, eoq; nec se-
servaturum juravit , siquidem error non habet consensum *l. si per erro-*
rem 15. ff. de juridict. 3. Si res super quâ juratum est, in alium devenerit sta-
tum *l. fin. C. qui satud. cog. c. quemadmodum de jurejur.* ubi elegans pro-
ponitur casus. *Siehard. ind. auth. Sacramenta. n. 43.* 4 Si juramentum

A 3

fit

fit præstatum super contractibus ipso jure nullis ; quia juramentum est
contractuum accessio , ideoq; his non consistentibus nec illud subsistit.
l. cum principalis ff. de reg. jur. facit. l. s. circ. fin. C. de legib.

XI.

Alieno nomine transigunt Procuratores , Tutores , Curatores ,
administratores civitatum , & similes personæ.

XII.

Procuratores transigere possunt , si speciale mandatum habeant.
*c. qui agendum de procurat. in 6. vel in rem suam dati sint l. 13. §. 1. de pac*t*.*
l. 55. de procurat. l. C. eod. vel si ipsis libera rei administratio sit commissa
l. 17. §. fin. de jure jur. l. 58. de Procurat.

XIII.

Tutores , Curatores & administratores civitatum quibus ma-
gna ex parte commissorum bonorum alienatio est interdicta , quamvis
super jure dubio & lite incertâ transigere possint *l. 54. in fin. & l. 56. §. 4.*
ff. de furt. tamen transigendo donare , alienare , aut jus liquidum remit-
tere prohibentur *l. præses 12. C. h. t. l. 4. C. de præd. minor. l. 22. C. de pac*t*.*
vid. Gail. 2 obf. 72. W esemb. hic num. 4.

XIV.

Patri quoq; de bonis filij emancipati ut & de adventijs filij famil-
sine ejus consensu transigere non conceditur , quia iura non liberimata
in ijs administrandi potestatem largiuntur . *l. ult. §. ubi autem in unum*
C. de bon. quæ liber. Novell. 117. cap. 1.

XV.

De Vasallo , an de bonis feudalibus transigere possit , non unam
omnes tenent sententiam ; Nos dicimus cum Cujacio , Vasallum deci-
dendi , non alienandi aut minuendi causa de Feudo transigere posse .
2. Feud. 26. §. si Vasallus de beneficio. Modò nihil fraudulenter agat .
2. Feud. 43.

XVI.

Extra hos casus transactio ijs tantum prodest & nocet , qui tran-
sigunt , non aliis *l. 3. in princ. b. t.* Coalescens enim personas consentien-
tes non egreditur *l. 2. §. 1. ff. de pac*t*.*

XVII. Qua-

XVII.

Quare transactione quæ inter hæredem & matrem defuncti facta est, neq; testamentum rescissum videri potest, neq; manumissis vel legatarijs actiones suæ ademptæ sunt. l. s. princ. ff. b. t.

XVIII.

Visis & examinatis personis quæ transfigere possunt, consideranda erunt res, quæ in transactionem veniunt. Licitum autem est, de omni re dubiâ & litigiosâ transfigere l. i. ff. b. t. ubi res dubia accipitur, pro omni jure dubio, ex quo lis oriri potest. Rem dubiam vero faciunt dubius eventus, adversarij probabilis contradicatio, aut metus contradictionis l. 2. l. 11. C. b. t.

XIX.

Ideoq; cum de re judicata lis amplius non sit, de eâ transfigi quoq; non potest. Nam res judicata controversia finem imponit l. i. ff. de re judic. & execu^tionem paratam habet l. debitoribus. 31. de re judicat.

XX.

Si tamen sententia aliquo juris remedio oppugnari possit, transfigi quoq; potest super re judicata; est enim adhuc incerta & indecisâ: Veluti, si probabiliter negetur judicatum, vel si ignoretur aut parum constet, an sit judicatum, an sententia subsistat, an appellatio intercesserit, vel interponi possit, an deniq; restitutio impetrata sit, vel impetrari possit l. u. ff. b. t. l. 23. § 1. ff. de condic. indebit. l. 32. C. b. 2.

XXI.

De controversijs quæ ex testamento proficiuntur, exquiri veritas alter non potest, quam inspectis cognitisq; testamenti verbis l. 6. l. 12. ff. b. t. l. 1. ff. de testam. quemad. aper. Nam 1. Res dubia vel lis incertadicí nequit, nisi prolato testamento: quia ante nulla res, nullum legatum appareat. 2. Tales Transactiones ultimis voluntatibus adversantur, quarum exitum, non impediri, publicè privatimq; interest l. 2. C. de SS. Eccles. l. s. ff. test. quem aper. 3. Potest etiam hæc addi ratio; quia fraudibus eorum occurendum fuit, qui legatarijs & fidei Commissarijs obrepentes, cum illis pro parvo transfigere solent, quasi non certa res eis fuerit relicta, sed dubia spei alea.

XXII.

An autem hoc ad testamenta Nuncupativa extendendum sit, quæritur? Ego id affirmandum puto sub hac distinctione, si in scriptu-

ram

ram redactum sit , & aliunde litigatoriis non constet quid in testamen-
to nuncupativo contineatur Treutl. volum. I. Disp. 7. thes. 4. lit. c. in fin.

XXIII.

Solet hoc loco queri, utrum transigentes inspectioni & cogni-
tioni verborum testamenti possint renunciare ? Negantium sententiae
calculum meum addo , ob has rationes : 1. Quia transigens de testa-
mentis, cuius verba non vidit, non tam transigit quam decipitur. 2. Quia
haec lex facta non tam in favorem legatariorum , quam in odium eo-
rum qui occultant testamenta. 3. Quia favore publicae utilitatis lata est ,
cui non potest renunciari l. 38. ff. de pact.

XXIV.

De futuris alimentis quavis ultimâ voluntate relictis, nisi alimen-
tarij conditio melior reddatur l. 8. §. 6. & §. 20. in fin. ff. b. t. sine magi-
stratus autoritate & causâ cognitione transigi nequit d. l. 8. ff. b. t. l. 8.
C. eod. Ratio est; ne hi quibus alimenta relinquentur, facile de ijs, mo-
dico præsenti contenti , transigant, & contra quam prospexit testator
egeant d. l. 8. in pr. & §. 6 ff. b. t.

XXV.

De præteritis alimentis quacunq; ratione relictis transigi potest si-
ne magistratus autoritate l. 8. C. h. t. Qui præterita alimenta nomine
potius, quam re sunt alimenta nemo enim in præteritum ali potest: cum
nemo in præteritum esurire velegere possit.

XXVI.

De matrimonio dissolvendo transactio fieri vetatur Novell. 127,
c. 4.c. fin. & ibi Dd. Extr. de transact. Eccl. de Sponsalib. cap. 29. Gail.
lib. 2. obf. 94. n. 14. Nam quos Deus coniunxit homo non separat. Et
causa matrimonialis per arbitrios tractari nequit c. causa in fin. Extr.
de in integr. restitut. Sed per judices discretos qui potestatem habent ju-
dicandi c. ex litteris in fin. de consanguin. & affinit. Erge multò minus
privatis de illo transactio concedenda est.

XXVII.

Si tamen de substantia & veritate matrimonij dubitetur , ad
conservationem illius transactio est licita , ut videlicet sponsa maneat
sponsa, uxor maneat uxor. Et ita sæpissime matrimonia conciliari
solent,

Tolent, ut pater puellæ fortè majorem aliquam dotem promittat.
Quamvis enim matrimonia à metu poenæ etiam pecuniariae debeant esse libera c. gemma 29. Extr. de Sponsal. tamē spelucri sāpe quis ad matrimonium contrahendum invitari solet. Cujus rei textum habemus notabilem in l. Titio centum 71. § 1 ff. de condit. & demonstrat.

XXVIII.

Transactio super status quæstione dubia est concessa. l. 10 l. ult. C. b. t. Is verò qui indubie liber est & cui status controversia nulla movetur, transigere de libertate non potest, quia de re dubia & lite incertà fit transactio, atq; ita intellige l. 6. C. de liberal cause.

XXIX.

De beneficijs Ecclesiasticis in litigium deductis transactio fieri prohibetur. Nam ut res sacræ possideantur aliquo dato, vel reten-
to, seu promissio, speciem Simoniae continet. c. constitutus 4. c. super
eo 7. c. 9. & 10. Extr. de transact.

XXX.

Res aliorum de quibus in transactione esse cogitatum doceri non potest, non deducuntur in transactionem, quæ sit tantum de his, de quibus inter convenientes actum est. l. 3. l. 9. ff. hoc tit. tot. tit. C. res inter al. att. vel judic. al. non nocer.

XXXI.

Crimina capitalia, quæ sanguinis poenam ingerunt, h. e. quo-
rum poena mors est & ultimum supplicium, singulari jure transactio-
nem recipiunt. l. 18. C. b. t. Naturā siquidem cuiq; inditum est, ut se suumq; corpus tueatur & nocitura declinet l. 3 ff. de just. & jur. sanguiniq; suum quibus potest modis redimat l. 1 ff. de bon. eor. qui mortem
sibi consiv. l. fin. ff. de prævaricat. cum omnis sit honesta ratio expediendæ salutis, neq; reprehensionem mereatur studium retinendæ diu-
turniorem vitæ usuram. Cic. in orat. pro Milon.

XXXII.

Proinde reus transigens de criminibus capitalibus, non habetur pro confesso, per d. l. 1. de bon. eor. qui ante sentent. l. fin. ff. de prævari-
cat. nec actor poenā Sciti Turpiliani coercetur. quia l. allegata l. 18. C. b. t.

B

cum

cum indistinctè loquatur, simpliciter quoq; erit intelligenda, nec ad solum reum restringenda arg. l. i. §. pen. ff. de aleat. 2. Quia ratio allata ex l. i. de bon. eor. qui. in accusatore quoq; militat, cum ipsi poena talionis sit metuenda l. ult. C. de accusat. l. ult. C. de calumniat.

XXXIII.

Quando verè licita sit hæc transactio, in disceptationem venit? Post item contestatam eam licitam esse inter omnes ferè juris interpretes convenit.: Ego præterea statuo cum Donello & alijs, idem obtinere etiam ante item contestatam. Nam d.l.18. generaliter & absolutè transactionem permitit in capitalibus; nec magis tempus illud quod accusationem subsequitur, quam quod eandem præcedit, ex primit.

XXXIV.

Notandum tamen Transactionem solos transigentes concernere l. 5. §. fin. ad L. Jul. de vi publ. l. 15. §. 5. ad L. Jul. de Adult. l. 2. C. de abolit. Fiscum verò quo minus accuset & poenam sanguinis exequatur nullatenus impediri per d.l. 5. §. fin. ad L. Jul. de vi publ. nisi abolitio petita atq; ita omnis vindicta remissa sit. l. 3. C. ad Sextum Turpili.

XXXV.

De adulterio transigere prohibitum est, cuius poena licet olim via fuerit atq; diversa Cujac. lib. 6. obs. 11. & 25. lib. 20. observ. 18. schönborn. lib. 1. polit. cap. 6. tamen postmodum ab Imp. constitutum est, ut nuptiarum alienarum temeratores gladio punirentur. l. 30. in fin. C. ad L. Jul. de adult. §. item lex Julia 4. inst. de publ. judic. eo interim non mutato, ut de crimine hoc transigi non possit l. 18. C. de Transact. l. 29. §. 2. ff. ad L. Jul. de adult. l. 10. C. eod.

XXXVI.

Quænam verò sit ratio, quod de adulterio transactio improbetur tot ferè lunt sententiae, quot capita, Ego salvo aliorum judicio W. esem- becij rationem non omnino rejiciendam esse puto; quod scilicet ejusmodi transactio in crimen lenocinij incidere videatur l. 11. §. 3. l. 14. ad L. Jul. de adult. cuius facinoris autores noluerunt videri Imp. in d.l. 18. ne inde nasceretur injuriarum occasio, unde jura nasci debent l. 6. C. unde vi Corat. 2. miscell. 1. Goedd. de contrah. stipul. cap. 6. Qui addi potest favor matri-

matrimonij, ne facile ex ignobili & sordido patre, generosis & splendidis familijs liberi inferantur arg. l. 9. C. de quæstion.

XXXVII.

De raptu an transigere liceat, non levis est Dd. concertatio, Ego à negantium partibus stabo; quia concij hujus criminis capitali poenæ subjiciuntur l. un. §. 2. C. de rapt. virgin. Et omnis raptus saltem quoad causam, conjunctus est adulterio & stupro. Althus. in Dyceolog. lib. 2. cap. 4. n. 15.

XXXVIII.

Quid dicendum de stupro, an de hoc transactio erit licita? Neg.
arg. l. inter liberos 6. §. 1. ff. de adult. l. 101. in princ. de V. S.

XXXIX.

De alijs criminibus publicis, quæ sanguinis poenam non inge-
runt, transigere non licet, citra falsi accusationem. d. l. 18. C. h. t. Immo
transigentes pro confessis & convictis habentur. Mynsing. cent 6 obs.
22. n. 3. Ingens autem est. Dd. altercatio, utrum hæc verba d. l. 18. sint
intelligenda exceptivè, ut scil. de falsi accusatione transigi possit? an ve-
rò ratione poenæ positivè, ut qui de criminibus non capitalibus publi-
cis transigunt in crimen falsi incident: Licet utraq; sententia subsiste-
stere ac defendi possit, Ego tamen priorem magis approbo. cum ho-
die plerumq; poena falsi, præsertim in puncto adulterationis mone ta-
rum sit capitalis ut appareat ex Constit. criminal. Carol. V. artis. III. atq;
ita poenam sanguinis irroget, quem quovis modo redimere licet l. 1. ff.
de bon. eor. 2. Probatur hæc sentential fin. ff. de calumniat. l. un. §. 13. C.
de rei uxor. act. l. 7. C. ad L. Cornel. defals.

XL.

Non incongruè etiam hic queritur, an in fustigatione & membra
mutilatione concessa sit transactio? Neg. l. 103. de V. S. l. 2. ff. de publ judic.
quandoquidem enim fustigatio sanguinis profusione coniuncta esse
potest, per se tamen sanguinis poena non est, nec mortem adfert; Sic li-
cit in membra amputatione sanguis profundatur; Sanguinis tamen
poena non est, cum vehiculum vitæ non tollat, sed tantum in membro
illo amputato consistat. Goedd. de contrahend. stipulat. cap. 6. n. 137.

XLI.

Forma Transactionis in eo consistit, ut non fiat gratuitò, sed ut aliquid detur, remittatur vel promittatur. *l. 38. C. b. t. vid. Supr thes 4.*

XLI.

Quod sit aut simplici pacto, aut per Aquilianam stipulationem. *l. 4. l. 15. C. b. t.* idq; vel purè vel sub conditione *l. 9. C. eod.* juratò vel injuratò *l. 41. & l. 42. C. eod.* cum poenâ vel sine poenâ *l. 25. ff. h. t.* In iudicio vel extra iudicium, scripturâ interveniente vel non interveniente. *l. 28. C. eod.*

XLII.

Finis Transactionis est ut lites sopianuntur *l. 1. h. t. l. 10. C. eod.* Is enim qui transfigit, molestias litis repellit, & se liberat ab onere actionis & periculo incerti eventus. *Vid. Goedd. i. Concil. Marpurg. 27. n. 26.*

XLIV.

Effectus non minor est, quām rei iudicatae quæ litis ingressum impedit, & actorem planè à limine iudicij repellit, adeoq; exceptio litis finitæ dicitur. *Decius in l. 10. C. b. t. Zanger de Exception. cap. 16. n. 1.* Unde & Transaction ad exemplum sententiaæ quæ transiitum fecit in rem iudicatam obtenuit Instrumentorum postea repertorum non retractatur *l. 19. l. 20. l. 29. C. b. t.* Imino ne quidem Imperiali rescripto rescindi potest *l. 16. C. eod.*

XLV.

Quod si major viginti quinq; annis adversus pacta vel transactiones libero arbitrio per Juramentum confirmatas, putaverit esse venientium, non solum notatur infamia, verum etiam actione privatur præstitia poenâ, quæ transactioni factæ in sera esse probatur *l. 41. C. b. t.*

XLVI.

Sed anno *d. l. 41.* producenda quoq; erit ad mulierem? Affirm. propter verbū *si quis*, quod tam masculos quam foeminas complectitur *l. 1. ff. de v. S.* Præterea etiam ignorantia juris non excusat mulieres in ijs quæ juri naturali sunt contraria *l. 2. C. de in jus vocand.* Fidem verò fallere & jurisjurandi religionem violare juri naturali repugnat *l. 2. ff. d. f. & f.* Proinde cum mulier nusquam à *d. l. 41.* excepta inveniatur, sub illâ eam comprehendendi consequitur.

XLVII. Si

XLVII.

Si tamen ex falsis instrumentis transactiones initæ fuerint : quamvis de his jurandum interpositum sit , falso evidenter revelato , retractantur. *l. pen. C. h. t.* Utrum verò hoc fiat ipso jure , an ope restitutionis in integrum , non ita expeditum est ? Posterius affirmo per *l. Divus ff. de re judicat. Vid. Menoch. i. arbitr. quæst. 15.*

XLVIII.

Pari ratione si evidens calumnia vel metus accelererit , transactio non est servanda *l. 65. §. 1. ff. de condic. indeb. l. 21. §. fidos. 3. l. 22. ff. quod met. causa.*

XLIX.

Quod si pars diversa contra placitum agere nitatur , & pars altera idem desideret , causam , refusâ pecuniâ , si quæ data vel accepta est , ex integro agendum esse , aequitatis ratio suadet. *l. 14. C. b. t.*

L.

Ultimo loco Disputationem claudat trita illa & non parum inter Dd. agitata quæstio , an propter læsionem ultra dimidium veræ astimationis rescindi possit transactio ; ac proinde remedium *l. 2. C. de re scind. vendit. locum in eâ habeat.* Negativam comprobo sententiam per *l. Lucius Titius 78. §. fin. ff. ad Sct. Trebell l. 19. C. h. t. vid Gail. lib. 2. Obs. 70.* Et tantum de utilissimâ Transactionum materiâ pro ratione temporis & instituti scripsisse sufficiat.

COROLLARIA.

I.

An à Transactione detur Appellatio ? Neg.

II.

An Transaction novet precedentem obligationem super qua transactum dubitatum vé fuit ? Affirm.

III.

An ex nudo pacto inter Mercatores oriatur actio ? Affirm.

IV.

An promissio præsenti & tacenti in ejus commodum facta , sit pollicitatio , an verò pactum ? Primi Affirm.

*Altipotenti Deo Trinuni sit Laus, Honor
& Gloria.*

A 3


Præ-



Præstantissimo ac Politissimo
Dn. NICOLAO HENRICO Storck/
amico & populari suo dilecto de-
Transactionibus disputaturo
gratulatur.

Hic laudandus homo est, quid sit Transactione di-
cens:
Promtè etenim lites, dirimit ille graves.
Hunc quod se teris, grator, per dulcis amice
Approbat hos ausus, quilibet ore pius.

JOHANES COTHMAN, S.S.
Theologiæ Doctor & Professor
ac p.t.Acad.Rector.



AD

Præstantissimum & Literatissimum
Dn., RESPONDENTEM.
publicè Disputantem,

*D*e
TRANSACTIONIBUS.


Sic decet Eunomiæ dia serenter ad aras
Legumlatrici ponere thura Deæ!

Disce-

Discutis Astræam sollers, Transactio quid sit
(Difficilis nodus) dum tua penna docet.
Rectè ! Culta Themis tecum sic transigat , opto ,
Et quæ promeruit munera Musa terat !


Benevolentiae contestandæ
ergò scrib.

PRÆSES.


Nescio quid doceat transactio. Gratulor ausis
Transige cum Musis , sic age , clarus eris.
Cumq; Tu à . Vestrā Astrā benè transige nomen
Doctoris Juris cum omni habebis item .
Transige ut occépsi , Venere , atq; litabis amorem .
Transige cum Jovā , sicq; beatus eris.

Dn. Amico Germano , & Populari co-
lendo , fausti ominis ergò adposuit

M. JUSTUS BRAWE
Osn. Westpb.



Intrepidus veluti miles fert ardua quaq;
Spe præda exiguæ ductus , amore fero :
Pectore sic Tu fers , STORCKI , quod pectora vincit
Segnia , non fracto quodq; laboris onus ,

Non

*Non tamen exigua ſpe præductus; opimum
Sed ſpolium referens Victor, ovans, Themis-
dos.*

*Hinc, opus ut superat nomen, Translactio, quodq;
Omnia transcendet lausq; decusq; tuum.*

*Perge modò, Et reliqui perspecta volumina Juris
Sic tracta, juris, consilijq; potens.*


*Tunc tibi nos dabimus plenis encomia buccis,
Proq; Deus reliquo præmia digna feret.*

Ita

Dn. conterraneo, amico suo fraterno
& sincero gratulabatur

Theodorus Dethmar /
Osnabr. Westph. LL.
Stud.





XLVII.

al siis instrumentis transactiones initæ fuerint :
randum interpositum sit , falso evidenter revela-
en. G. h. t. Ultrum verò hoc fiat ipso jure , an ope-
um , non ita expeditum est ? Posterius affirmo per
it . Vid. Menoch . i. arbitr. quest. 15.

XLVIII.

videns calumnia vel metus accelererit , transactio
§. i. ff. de condic. indeb. l. 21. §. si dōs 3. l. 22. ff. quod

XLIX.

versa contra placitum agere nitatur , & pars alte-
ussum , refusâ pecunia , si quæ data vel accepta
dam esse , æquitatis ratio suadet . 14. C. b. t.

L.

isputationem claudat trita illa & non parum in-
o , an propter læsionem ultra dimidium veræ asti-
ssit transactio ; ac proinde remedium l. 2. C. de re-
ni cā habeat . Negativam comprobo sententiam
§. fin. ff. ad Sct. Trebell l. 19. C. h. t. vid Gail.lib. 2.
et utilissimâ Transactionum materia pro ratione
cripsisse sufficiat .

COROLLARIA.

I.

detur Appellatio ? Neg.

II.

t precedentem obligationem super qua transactio
uit ? Affirm.

III.

er Mercatores oriatur actio ? Affirm.

IV.

i & tacenti in ejus commodum facta , sit pollicitatio
n ? Prinus Affirm.

Deo Trinuni sit Laus , Honor
& Gloria .

A 3

Præ-